ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissime ac strenuissime vir,

Plus certè in officio isto, quod a te petieram, mihi praestitisti; quam a te postulaveram: plus et eo tuli, quam mihi promiseram. Ita tua exuberat in amicitia muneribus humanitas, et verè ἐπίχαρος est. Oraveram te, ut iuniori principi opusculum meum offerres, et ex affectu meo, non autem e pretio suo, commendares. Ex quo nihil praeterea, quam non displicuisse expectaveram. unum id erat quod omnibus votis optabam. unum hunc fructum laboris mei desiderabam. Tu vero non tantum in hoc desiderio meo satisfecisti: sed etiam eodem officio, quod ne quidem a te petere ausus eram, pro me apud Imperatorem functus es, et a celsitud.e eius, utriusque principis nomine, gratias, quas nec merui, nec expectavi, mihi retulisti. quo quid maius mihi a tanto Mecaenate posset tribui! Quod retribuam autem, nihil mihi est, praeter animum eundem, quem egregio principi iam a puero devovi, et perpetuo devotum volo. Hunc quaeso ut Imperatori optimo offeras; nec minus munusculum hoc, quam alterum, quod ab eo profectum est, ornes. alterum tantum, et plus eo, quantum debui, me tibi, ob id debere fateor. Sed eodem aere, quo mea penuria est, tibi solvere cogor. Interim me utere pro tuo in quovis officiorum genere, quo tibi servire potero.

Scriptum tuum pro organis a domino de Zeelhem expecto: quod cum accepero, operi mandato me strenue accingam: sed non tanquam sententiam laturus, cum ea a te iam lata, nec ab ea provocatum sit; verum ut eam veneraturus, et ea staturus. Quam organa tua sint efficacia, ex hoc vide. nedum tractata mihi cantum eliciunt. hoc plus valet, quam illa Orphei lyra. Tu coniecto quid ab iis passurus sim cum auribus meis ipsa insonare coeperint. Interea vale et valetudine tua, cum optimis principibus et exercitu. Hagae Comitis ipsis Nonis Quintilis CIↃIↃCXLI.

Instrumenta musica, quae vulgò
organa dicuntur, in aedibus sacris convenire.

Aspice quam certum spondet sibi causa triumphum,
Ipsa patrocinio quae, Sulicome, tuo est.
Europa tam facilem vinci se praebeat opto;
Nec magis Austriaco sit gravis ipsa Duci.
Qui vetat in sacra spirantes aede camoenas,
Et superûm laudes sic celebrare vetat.
Ille locus vera est aulae caelestis imago,
Laudibus assiduis quae sonat ipsa Dei.
Ingeminant istas volucres a Numine doctae;
Atque silentes hymnos, quos didicere, canunt.
Nec silet, arcano sed cantu volvitur aether:
Et polus auctoris barbitus ipse sui est.
Imbuit humanam mentem vis illa canora,
Ipsa fides: unus spiritus omne movet.
Hinc sua iura probat templis mos iste receptus:
Unam cum caelo non timet iste notam.

Tibi

devotissimus

J. Forestus.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Forestus) 7
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2767

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Forestus) 7
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2767

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Forestus) 7
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2767

Myn heer myn heer
Constantyn Hugens, Ridder
heer van Zuhlcomd Raedt
ende Secretaris van syn hoocht.
myn heer den prince van
Orange

Int leger
voor Gennep.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Forestus) 7
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2767